

ni decempeda, sed afflatuum inanium, a spiritu versipelli immissorum, intemperiiis metientes.

V. W.

VACUUM MYSTICUM, impetrabile censetur per media mystica in homine satis habili ac disposito, seu mavis, Enthusiastice evacuando. Disciplinarius enim tractandi modus in conventiculis istis duo suggerit media, orationem & mortificationem. Orationem triplicant, concelebrantes meditativam seu discursivam, quæ intellectum connotet, affectivam, quæ voluntatem afficiat, & infusivam, quæ evacuet & ad meram passivatem redigat animal mysticum sine omni renatorum cooperatione, a viribus gratiæ profectura. Mortificationem ponunt in evacuatione omnium sensuum, appetitus, memoriæ, intellectus & voluntatis, utpote separabilium ab homine per mortem mysticam. VERBUM CRASSUM & CORPOREUM Autor Theologiæ Comparativæ pronunciat, quatenus atris in charta literis conscribatur, externæ prædicationi substat, & ab irrogenitis percipi nequeat, oppositum leni sibilo Spiritus Sancti, quo extra Verbum corda regentorum afflet, occupet, oppleatque. Alius hujus Scholæ Protomysta mutilum & mancum istud mansisse credidit, usque dum David Joris veniret. Alius Epopa suppositivus ita suam e cathedra sententiam dicit: Das wahre Wort Gottes / welches der H. Geist selbst ausspricht / ist das wahre original, da hingegen der Buchstabe der Schrift nur das Contrafait davon ist; jenes ist lebendig und kräftig; das muß der Buchstabe wol bleiben lassen. Quæ sunt sophismata Rathmanni, & strophæ Schwenckfeldii. VIA, non illa, quæ Veritas & Vita est; sed medium, ad Perfectissimum homines deditivos manuducere creditum. Alii nuncupant tres status, quorum primus juxta Fenelonium, Archiepiscopum Cameracensem, aliosque (ecquis enim omnes ad unum conciliaret?) est viæ purgativæ, ubi contra vitia pugnatur per Amorem, qui mixtus sit ex motivo interessato timoris propter poenam infernalem: Alter est viæ illuminativæ, ubi virtutibus studea-